



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annales Heremi Dei Parae Matris Monasterii In Helvetia Ordinis S. Benedicti

Hartmann, Christoph

Friburgi Brisgouiae, 1612

Heinricvs II. Ex Baronibvs A Gvttinge Abbas Heremi. XX. Imperii Princeps
Tertivs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38545



HEINRICVS II. EX
BARONIBVS AGVTTIN-
GE ABBAS HEREMI. XX.
IMPERII PRINCEPS
TERTIVS.

HIRCITER Idus Ianuarij electus pontifex Mar-
tinus iv. coronam triplicem accepit x. Kal. Apri-
les, in signi adeò sanctitate, vt multi claudi, cæ-
ci, muti, infirmi ad eius sepulchrum convalue-
rint. Eodem anno octogesimo primo, conuentum Ru-
dolfus celeberrimum Francofurti habuit, in quo contra præ-
dones, & grassatores, qui superiorum temporum licentiâ, per
Germaniam multi passim sæuiebant, multa decreuit. Eo-
rum post latibula, & arces plerasque euertit. Ad superiora

A. D. *℞*
CIC. CC.
LXXXI.

Z Rheni

*A. D. N.**CIO. CC.
LXXXII.*

Rheni regressus Haginoam, & Colmariam, aliasque vrbes Imperiales, quæ præterito Othagarico bello auxilia non submiserant, regiasque oblationes dari solitas negitarant, multauit, & ad officium coegit. Bernam, quæ in eadem culpa, obsedit, & petere pacem compulit. Tigurinis, qui de eisdem accusabantur, ob antiquæ præfecturæ memoriam delicti gratiam fecit. Inde ad Comitiam, quæ Augustam indixerat, profectus, natalitijs diebus anni octogesimali secundi, consensu principum regni, & interuentu, filios Albertum, & Rudolfum Habsburgi, & Kiburgi Comites, & Alsatia Landtgrauios Imperij principes, & Austria, Stiria, Carniola, &c. Duces salutauit. Alberto Elisabetham Megingradi comitis Tirolensis filiam, quem postea Carinthia Ducem creauit, collocauit, ab Alberto vero Austria ducum, & Archiducum origo. Aestate sequenti, vrbes Imperiales circumuectus Constantia, Tiguri, Schafhausia, Basilea, Argentina, alijsque ciuitatibus concordiam inter nobilitatem, & ciues conciliauit. Anno sequenti, bellum contra Comitem Montisbellicardi Reginaldum gessit, & ad deditionem coegit. Arma hinc contra Comites Sabaudia vertit, qui pleraque Auentici agri opida occuparant, nonnulla eorum recepit. Hoc eodem anno Monasterium nostrum

*A. D. N.**CIO. CC.
LXXXIII.**A. D. N.**CIO. CC.
LXXXIV.*

Martinus Pontifex bulla honorauit. Anno octogesimo quarto, esse postremo desijt Rudolfus Comes Raperuillensis, Rudolphi F. aduocatus noster, vltimus masculi sexus eius nobilissimi stemmatis, cum varijs morbis conflictatus vicesimum tertium ætatis attigisset annum. Hereditatem adijt Elisabetha soror Ludouici Hombergæ Comitis vxor, qui eius nomine, & ex pacto, quod pater Rudolfus cum Anshelmo fecerat, Heremi aduocationem suscepit.

*A. D. N.**CIO. CC.
LXXXV.**A. D. N.**CIO. CC.
LXXXVI.*

Martinus Cum anno sequenti octauo kal. April. obiisset, successorem habuit idibus eiusdem mensis Honorium I. Eodem anno, suscepit Luitoldus baro à Regensperg ab Heinricho abbate præfecturam, siue aduocationem vicorum Telliconis, & Pappesolis. Anno octogesimo sexto, Rudolfus Cæs. episcopus Basiliensem ad Honorium pontificem legatum destinauit. Ea le-

gatione,

gatione, postquam Carolus rex Neapolis vicariatu Imperij, quem Rudolfo invito hæctenus vsurpauerat, pontificis auctoritate abdicauisset, Romaniolam, Bononiam, & Exarchatum Rauennatem Ecclesiæ Romanæ donauit. Etruriæ nonnullas ciuitates, acceptâ pecuniâ, suis legibus reliquit, & præsentæ libertati, iuribus Imperij referuatis. Sed gratus pontifex Henricum episcopum Moguntiacensi Ecclesiæ, sequenti anno, præfecit. Conradus nobilis ab Humprechtico Henrici abbatis dapifer, varia prædia, & possessiones, quas sub Vldarico II. abbate Monasterio donarat, sitas Hurdæ, Volrouiæ Feficone, Vadæ, Huobæ, montibus Etzelij, Sonnenbergæ, Schnabelbergæ, alijsque in locis, rursus hoc anno confirmauit, varijs conditionibus, quas in hunc cõstituit modum. *Ut post mortem meam, inquit, de bonis in Hurden in anniuersario patris mei vnus modius tritici, & in die anniuersarij mei vnus modius tritici annis singulis fratribus in prædicto monasterio DEO famulantibus erogetur, & vnus modius tritici eodẽ die in vsus pauperum expendatur. Item de pratis in Sonnenberg in anniuersario matris meæ v. solidi denarij, & in anniuersario Iudentæ uxoris meæ v. solidi denarii, ac de prato sub monte EZZelin in anniuersario Rudolphi fratris mei quatuor solidi denarii prædictis fratribus annis singulis largiantur. Pratum autem sub mōte Schnabelberg ad vsus cedat sacerdotibus in Capella sanctæ MARIÆ celebrantis. De possessionibus vero in Vuclrouue, & in Erlon, & in dem obern Erlinbach prædictum monasterium in quinq. luminaribus ex oleo factis adornaui, ita videlicet, vt duo per diem luceant, vnus ante Capellam sanctæ MARIÆ, alterum vero ante altare publicum: Reliqua tria de nocte ad altaria sancti Benedicti, & S. Crucis, & ad sepulcrum beati Gregorii accendantur, & de residuis possessionibus præscriptis necessitati, & indigentia prædicti monasterii succurratur. Ut autem omnia præmissa perpetuâ stabilitate fulcita permaneant ipsam donationem, & traditionem præsentibus innouo, & ratifico: Inhibens omnibus meis heredibus sub pœna successionis legitimæ ne contra prædictam donationem, traditionem, ordinationem per se, vel per alios*

veniant verbo, vel facto. Ac renuncio pro me, meisque successoribus omni iuri, exceptioni, defensionem, ac generaliter omnibus per qua premissa possint vitari, vel aliquo modo retractari, In cuius renouationis testimonium, & robur presentem chartam venerandis Dominis meis Henrico DEI gratia Abbati, & Conuentui Heremitarum prelibatis sigillo honorande domine Elisabethe DEI gratia abbatisse Thuricensis tradopatenter communitam. Acta sunt apud Monasterium Heremitarum Anno Domini M. CC. LXXXVI. Kalend. Septembris, Indictione XIII.

A. D. X.
CIC. CC.
LXXXVII.

Ex quo instrumento nemo non intelligit, eo tum quoque tempore, Gregorium Abbatem tertium magna in veneratione, & cultu fuisse, tamquam beatorum ex numero, cuius intercessionem, & merita saepe suis in necessitatibus mortales experirentur. Anno Octogesimo septimo Rudolphi Caesaris Eberhardum Comitem Vvritenbergensem bello attriuit, Stulgardiamque obsessum, Maguntini archiepiscopi intercessione, in gratiam recepit. Deditioem quoque caeteri coniurati Comites fecerunt Helfensteinius, Nellenburgensis, Zolleranus, Toggenburgensis, alij. Eodem anno, circiter Kal. Mal. defunctus vita, & pontificatu Honorius IV. vacauit sedes ex eius obitu menses decem, tandem circiter

A. D. X.
CIC. CC.
XII C.

Id. Martias anni consequentis lectus pontifex Nicolaus IV. Is apud Reate frequentissimam Italiae praecipue Episcoporum & Antistitum eodem anno habuit Synodum. Ex ea Synodo duodecim Episcopi quadraginta dierum Indulgentias quisque eorum impertiuerunt, certis diebus festis, sacellum sanctorum Gaggolphi, & Laurentij in campo Bruel dicto visitantibus, litteris in hanc rem Abbati nostro transmisis. Pro quarum testimonio exemplum infra scriptum est.

Vniuersis sanctae Matris Ecclesiae filiis ad quos praesentes litterae peruenerint, Nos DEI gratia Theoticus Adrianopol. Iohannicus Mocacens. Iacobus Castellanus, Leonardus Penuens. Gregorius Fragusinus, Mancus Ameliens. Vual-

debrunus

debrunus Auellonens. Perronus Larmens. Petrus Stafensis, Guillelmus Aretinus, Guido Tribuniensis, & Ioannes Osculanus episcopi salutem, & sincerã in Dominocaritatem. Vita perbennis gloria, quã mira benignitas conditoris omnium bonorum coronat aciem ciuium superonrum à redemptis precio sanguinis fusi de precioso corpore redemptoris meritorum debet acquiri virtute. Inter quã illud prãgrande dinoscitur, quod ubiq; Maiestas Altissimi, sed prãcipue in sanctorũ Ecclesiis, collaudetur. Eapropter nos Christi fideles quasi per prãmia salubriter invitare volentes ad merita de omnipotentis DEI misericordia, beatissima semper virginis MARIE, necnõ beatorum Petri, & Paulli Apostolorum, atq; omniũ sanctorũ meritis, & precibus confidentes, omnibus verè pœnitentibus, & confessis qui ad Capellam sanctorum Gangolſi, & Laurentij martyrum apud locum Heremitarũ Abbatis, & Conuentus ordinis sancti Benedicti Constantiensis diocesis in festis infra scriptis, videlicet, Natiuitatis Domini, Resurrectionis, Ascensionis, Pẽtecostes, in omnibus etiam festis gloriosa virginis MARIE, Inventionis, & Exaltationis sancte Crucis, sancti Michaelis, Natiuitatis, & decollationis sancti Ioannis Baptistæ, sanctorum Apostolorum Petri, & Paulli, sanctorũ martyrum Maurij, Felicis, & Regule, sancti Nicoali confessoris, sancte Catharina virginis, atq; in festiuitatibus patronorum, & per octauas omnium, & singularum festiuitatum predictarum pie visitantes gratiã deuotionis acceſſerint, & ibidem verba diuina cum bona deuotione audierint, aut qui ad fabricam, vel ad sustentationem ornamentorum, seu luminariũ predicta Capella manus adiutrices porrexerint, seu in extremis laborantes quicquam facultatum suarum legauerint, quilibet nostrum sigillatim Quadraginta dies de iniunctis eis pœnitentiis, dummodo loci diocesanus hanc nostrã indulgentiam ratam habuerit, misericorditer in domino relaxamus. In cuius rei testimonium præsens scriptum sigillorum nostrorum munimine duximus roborandum. Datum Reate in curia Romana, Anno Domini M. CC. LXXXVIII. Pontificatus Domini Nicolai papæ quarti Anno primo.

Et quamuis Episcopi Constantiensis, tamquam hac in parte, vt supra habetur, ordinarij confirmatio non appareat, consumpta haut dubiè tot præteritis incendijs tamen eam pro accepta, & certa nos merito habemus, neque dubitamus quin eandem ædem qui statis, & nominatis festiuitatibus visiterint, causâ pietatis, futuri sint participes earum quas prædicti pollicentur, indulgentiarum.

A. D. N.
CII. CC.
LXXXIX.

ANNO OCTOGESIMO NONO Rudolfus dux Austriae patris imperio, re inopinata, in Berneses inuasit, insidiasq; haut procul vrbe posuit. Illi, aduentu hostis cognito, portis sese nullo ordine, aut iussu effuderunt, in fraudemque delapsi magnam cladem accepere, plurimis caesis, aut in profluentem Arulam profligatis, donec, erumpente ex vrbe omni multitudine, cedere dux coactus est. Pugna pugnata i v. Kalend. Mai, & in ea desideratus ex Austriacis præcipui nominis Ludouicus Comes Hombergæ, maritus Elisabethæ Rapersvillensis, aduocatus noster. Illa post eius mortem sibi, & liberis tutorem sumfit, & rerum suarum præfectum primo Vlicum baronem à Ruseck, mox Hugonem Comitem Vuerdenbengensem, qui Advocationem Heremi eadem operâ exercuere. Nupsit postea secundò Rudolfo Comiti Habsburgensi Lauffenbergæ domino, quo matrimonio Aduocatio eadem ad Habsburgenses translata. Anno nonagesimo Soldanus Babilonius Ptolemaidem post longam obsidionem expugnavit, eaque ratione Christianorum in Oriente Imperium tanto sanguine partum, toties reparatum funditus euertit. Decimo septimo Kal. Augusti anni sequentis, obiit Cæsar Rudolfus, princeps ingenti animo, qui vt antecedentes Germaniæ reges, & Imperatores virtute plerosque attigit, multos superauit; ita posteris multa virtutum omnium exempla reliquit. Dignus quem Austriaci tot clarissimi postea Imperatores, reges, & principes auctorem, & conditorem habeant. Rudolphi mortem secuta passim bella, & turbæ. Vnde pleræque ciuitates fæderibus opes coniunxerunt, & contra vim se munierunt, aut in potentiorem concesserunt. Elisabetha Rapersvillensis societatem, & amicitiam in tres sequentes

A. D. N.
CII. CC.
XC.

A. D. N.
CII. CC.
XCI.

annos

annos inijt, cum Tigrinis, auxilia vtrunque, operam, confilia polliciti. x. Kalend. Septemb. petitione Heinrici abbatis confirmavit Nicolaus pontifex omnes libertates, & immunitates à prædecessoribus suis Romanis pontificibus siue per priuilegia, siue indulgentias monasterio concessas, nec non libertates, & exemptiones secularium exactionum à regibus, & alijs Christi fidelibus indultas, bullâ datâ apud Urbem veterem, pontificatus anno tertio.

Nicolaus Episcopus seruus seruorum DEI dilectis filiis Abbati, & Conuentui Monasterij Heremitarum ordinis S. Benedicti Constantiensis Diocesis salutem, & Apostolicam benedictionem. Solet annuere sedes Apostolica pijs votis, & honestis petentium precibus fauorem benignum impertiri. Ea propter, dilecti in domino filii, vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu omnes libertates, & immunitates à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus siue per priuilegia, seu indulgentias vobis, vel monasterio vestro concessas, nec non libertates, & exemptiones secularium exactionum à Regibus, & Principibus, & alijs Christi fidelibus rationabiliter vobis indultas, sicut eas iuste, & pacifice obtinetis, vobis, & per vos eidem Monasterio, auctoritate Apostolicâ, confirmamus, & presentis scripti patrocinio communitimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis DEI, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursum. Datum apud Urbem veterem x. Kal. Septemb. Pontificatus nostri Anno tertio.

Heinricus Schade de Randegge senior decumas Aeschantze quas beneficio ab monasterio habuerat, Heinrico abbati restituit, & ab eo partem prædij Vuildenhausæ accepit xvii. Kalend. Octobr. Principes regni denique Francofurti Adolfum Nassouia Comitem regem pronunciarunt xviii. Kalend. Februarij anni nonagesimi secundi, quamuis non de essent inter eos qui in Albertum Austriacum inclinarent, & etiam præferrent. Vnde inter vtrumque bella, quæ non

A. D. N.
CICG.
XCII.

nisi alterius morte finita. Et Tigurini quidem monitu Adolphi, ductore Eglino comite Toggenburgio, Vitodurum obsessuri obuium habuere Hugonem Comitem Vuerdenbergensem Austriacum in Turgouia præfectum, qui ab ijs fusus, & fugatus. Cum deinde obsidionem per victoriæ licentiam secerdus, & solutius habent, auxiliaque Rudolphi Constant. episcopi opperiantur, eruptione factâ, ab Vitoduranis stragem maximam acceperunt, pridie Idus Aprilis, amisso vexillo, & omnibus Tigurinibus pene interfectis, aut captis. Pax facta inter ducem & Tigurinos, mense Octobri. Pridie Nonas eiusdem Aprilis mortem obiit Nicolaus I v. Vacauitque sedes annos duos, menses tres, dies vndecim. Tertio nonas etiam Aprilis anni proximè sequentis desideratus quoque Rudolfus episcopus Constant. ex Comitibus Habsburgi, exitâ ætate. Suffectus Henricus à Clingenberg Rudolphi regis quondam Cancellarius, & tum Episcopus Frisingensis. Albertus dux auxilijs Hugonis Verdenbergensis comitis, Tigurinorumque, Vylam Turgouia obsedit, & deditione accepit, quâ cum Alberto baroni ab Valde, & Vlrico à Clingenberg custodiendam tradidisset, paucis post diebus, fortè, incendio conflagrauit tota. Incolæ omnes, duobus exceptis, Schuartzenbach in opidum ab Rudolfo rege conditum migrarunt. Vastata, eodem tempore, per bella tota pene Turgouia, acceptaque damna haut mediocria in possessionibus ab nostro monasterio. Adolfus, iisdem diebus, conuentum Eslingæ habuit, pacemque generalem stabilire tentauit. Tertio kalend. Augusti anni nonagesimi quarti lectus tandem Cælestinus v. pontifex, qui mox deceptus ab Benedicto Cardinali Cajetano abdicauit xvii. Kal. Ianuarij insequentis, v. pontificatus mense. Successor vigiliâ dominicæ Natiuitatis, idem Benedictus nominatus, qui Bonifacius viii. Anno nonagesimo quinto varia quoque per Turgouiam, & Alsatiam bella inter partium fautores fuerunt. Et eodem tempore multi se jam ab Adolfo subtrahebant, & ad Albertum transibant, eo maximè prætextu, quod pecuniam ab Angliæ rege acceptam in priuatum vsum conuerterat,

cùm in

*A. D. N.**CLD. CC.
XCIII.**A. D. N.**CLD. CC.
XCIV.**A. D. N.**CLD. CC.
XCV.**A. D. N.**CLD. CC.
XCVI.*

cùm in principes Imperij diuidere deberet. Ipse anno nonagesimo septimo bellum in Argentinensem episcopum gessit Austriacis partibus fidum, & eo armis petitū, Rubeacum obsedit, & magnis molibus oppugnauit. Interea plerique primores, regni Philippi Gallie regis, vt nulli tradiderunt, pecuniã impulsu, quia Aeduardo Anglo contra ipsum Adolphus auxilia promiserat, Maguntiaci conuentum fecere, accitumque Albertum regem contra Nassouium pronunciarunt, Vigilia D. Ioannis Baptistæ anni nonagesimi octauo. Adolphus ea de re edoctus in Austriacum copias omnes conuertit, congressusque campis Vvromaticensibus, & interfectus vi. Nonas Iulias, Imperium Alberto reliquit, qui recta inde Francofurtum profectus, vnanimi electorum, principumque consensu confirmari voluit, & obtinuit vi. Kal. Augusti. Aquisgrani paucis post diebus coronatus, cum, aduerso Rheno, in Alsatiã redisset, Argentinæ res Imperij disposuit, prouincijs præfectos dedit, regalia, & beneficia principum, & nobilium confirmauit. Octauo Idus Nouembris eiusdem anni vitam, & principatum deposuit simul abbas Henricus. Erat Henrici baronis à Guttinge vico, & arce octauo circiter supra Constantiam ad Acronium millari, & Elisabethæ comitissæ Nellenburgensis filius, stirpe, vti vitã, admodum nobili. Creatus abbas omnibus suffragijs Ioannes ex Baronibus à Schuande.

A. D. N.

CIC. CC.
XCVII.

A. D. N.

CIC. CC.
XCVIII.

IOAN.